

tum, qua cautum est, fratres ex fratre nepotes excludere a successione, neque, vt loquitur Ill. Heineccius in Element. Iur. Germ. Lib. II. Tit. IX. §. 259., iuri repraesentationis relinquere locum. Nam ne Romano quidem iure nepotibus ex fratre vicaria successio obtigit.

§. XXIV.

Vnde nec recentius ius Saxonicum repraesentationem in successione collateralium admittit.

Atque has priscas leges consuetudinesque Germanicas Saxones constanter secuti sunt atque vsque huc seruarunt in-temeratas. Nam apud eos omne ius repraesentationis in successione collateralium cessat, vtpote quorum propior gradu semper ab hereditate defuncti remotiorem excludit. Vt idcirco Saxonico iure, si forte collaterales aequali a defuncto distant gradu, vt sunt eiusdem fratrum sororumue plurium ante eum, de cuius haereditate quaeritur, mortuorum mortuarumue liberi, nunquam non in capita succedantur. Quoniam non nisi successio vicaria seu repraesentatio successione in stirpes efficit. Vid. Sächs. Land. R. art. 3. in fin. et art. 17. Ceterum et iure Saxonico inter bilaterales fratres sororesue, ungezwente Brüder und Schwestern, et fratres sororesue vnilaterales hoc discriminis constitutum est, vt illi hos a successione propterea arceant, quod bilaterales defuncto propiores vnilateralibus habentur, secundum regulam: die halbe Geburt tritt einen Grad weiter. Vid. Sächs. Land. R. L. I. art. 3. et L. II. art. 20. Adeo, vt fratribus sororibusue germanis non extantibus, cum eorum earumue liberis in capita, quod dixi, succedentibus defuncti fratres sororesue vnilaterales ad successionem admittantur. Sächs. Land. R. L. II. art. 30. Quae differentia bilateralium et vnilateralium etiam vltius, atque ideo ad patruales quoque, fratrum nepotes, et sic deinceps, producit. Gloss. des Land. R. L. II. art. 20. lit. D. Carpz. V. Arb. Conf. Disp. I. c. 1. n. 93. seq. Stryk. de success. ab intest. Dissert. III. c. 3. th. 8. Denique, quum iure Saxonico a suc-